

1892

TUM DANTIBUS QVÆSTUM MERETRICIUM. ,

retrices , ut usu corporis nummos merentur , verum etiam ante lupanaria sedere solebant , unde *prose* dicebantur vel *prosidua* teste eodem *Bartb. libr. 40. cap. 17. in pr.* Sed infinitam 24 prope multitudinem meretricum , quæ cum olim alebatur , tum hodie multis in locis conspicitur , non minus mirari lubet , ac vagam earum & promiscuam Venerem. Imprimis vero Romani olim meretricibus abundarunt ; ut non immerito ille *apud Plaut. conqueratur in Trucul. act. 1. scen. 1. Nunc Lenonum & scortorum plus est fere , quam olim muscarum est , cum caleatur maxime.* Nec ipse *J. C. Ulpian.* istud diffiteri potuit , dum in *l. ancillarum 7. §. 1. ff. d. hered. petit.* expresse meminit : In multorum etiam honestorum virorum prædiis lupanaria exerceri. Nec professio vitæ meretriciæ intra infimæ sortis mulierculas 25 subsistebat ; sed etiam præcipuarum familiarum fœminis , maximæque dignationis personis familiaris erat , exemplo *Vistilia* prætoris familia genitæ , quæ licentiam stupri apud Ædiles vulgaverat , *apud Tacit. lib. 2. annal. cap. 85.* quo Senatus tandem motus fuit ad decernendum ; *ne questum corpore faceret , cui avus , aut pater , aut maritus Eques Romanus fuisset.* Sed vis de- 26 creti istius Senatus omnis procul dubio infirmata fuit , postquam vaga libido & promiscua Venus in ipsos thalamos Principum penetraverat ; ut de *Messalina* constat per lasciviam Romanis rebus illudente , & portentosa sua libidine omnis generis meretrices superante , *vid. Plin. libr. 10. Nat. Hist. cap. 63. & Juven. Sat. 6.* aliisque , de quibus Tacitus alique Scriptores Historiæ Augustæ passim. Quin imo Romæ olim nobiles quædam fœminæ 27 meretriciis amoribus maculasse suam stirpem visæ sunt , non voluptate aliqua ductæ , sed timore , ne , si amasios non haberent , deformes ipsæ haberentur : Quia argumentum pulchritudinis est contentio Amasiorum. Idcirco tanti pretii stultis mulieribus non fuit contempta aut solitaria castitas , ac forma prostituta , *conf. Firmian. d. secul. genio diff. 4.* Neque alii hodie mo- 28 res sunt vel Italis vel etiam Hispanis. Imprimis vero in Hispania Venus illicita tanta licentia cominatur , ut meretricia

C

opera